

DE BELLI NECESSITATE ATQVE VTILITATE¹

Quamuis paene incredibile idemque absurdum atque inauditum putetur assertum, humanissimae mulieres, uiri ornatissimi, et animus, tanta ac tam crudeli re considerata, magno perfusus horrore refugiat, oportet tamen nos quoque haud secus ac antiqui et docti uiri ad nostram praesertim aetatem mentem parumper uertamus et quae, nobis spectantibus, eueniant, attento consideremus spiritu, ut omnia, quae quisque nostrum uel sentiat uel expertus sit ipse, siue damnet siue probet, palam ostendat ac patefaciat.

Bellum, uti constat, una cum hominum genere est in uniuersum orbem ingressum, ibique, quamuis homines omnia conentur ut uitetur, integrum adhuc manet atque homines ad extremum usque uitae comitatur diem. Nos uero, cum tantum uituperemus damnum, pacificos continuo ostendamus animos et nullam praetermittamus occasionem, quin pacis operatores fiamus, pro certo tamen habemus bellum exstare idemque infinitas hominum generi aerumnas inferre. Si tam luctuosum euentum nos fugeret uel lateret, non his in terris duceremus uitam sed alter, idemque felicius, nos teneret locus.

Ceterum, ut a Sacris accipimus Litteris, in ipso hominum generis initio tam uiolens est bellum exortum, ut Cain, cum frater suis ipsius occidisset manibus, quartam saltem hominum generis deleuerit partem. Maleficus enim uir, acri captus liuore, cum Deus se munificum in Abel ac beneuolum ostenderet, tantam iniuriam non tolerauit. Ideo dixit “Cain ad Abel fratrem suum: «Egrediamur foras». Cumque essent in agro, consurrexit Cain aduersus Abel fratrem suum et interfecit eum”²

Quo crimine patrato, neminem fuisse Cain peiorem putamus, cum factum sit, ut bellum in terras irruerit, ad nostram usque peruenerit aetatem et homines bellandi consilium numquam deposuerint. Illis temporibus, si Litteris Sacris intactam tribuimus fidem, praeter parentes, in terris duo tantum fuerunt incolae. Ideo Cain dimidiam hominum partem est necare ausus.

Cum autem omnes hominum aetates aequo consideremus animo, nullum umquam, mea saltem sententia, fuit tempus, quo bellum, ciuitatibus uastatis, deorum templis deletis agrisque euersis, animos non turbaret, timorem non iniceret, lacrimas non euocaret, miseros et infelices ciues in aerumnas non adduceret.

Quantum doloris, quantum iracundiae, quantum inopiae, bello saeuiente, sunt homines tolerare coacti! Quae mala, cum diurnarios et telehorasin nos continuo doceant et in nostras omnibus fere diebus introducant aedes, nullus est uir, qui uel falsa uel ficta esse dicat; immo bellum ingrauescens atque ugens audacter et constanter damnamus, eiusque auctores criminamur, potentiores uiros inertiae uel fauoris insimulamus, firmarum nationum utilitatem uituperamus. Attamen, tempore procedente, cum neminem nostrum bellum laedat, aequo omnia eademque crudelia atque intolerabilia, toleramus animo.

Ceterum neminem nostrum latet illas nationes, in quibus acerrimae discordiae et seditiones excitantur iisdemque laniantur malis, quo pauperiores eo crudeliora ferocioraque inire bella. Quibus autem exortis atque increbrescentibus, quam multae diuitiae perdantur, quam multi homines pereant, quibus luctibus innocentes afficiantur incolae, nullus est sanus uir, qui haec ignoret.

Sed hic, ornatissimae mulieres, auditores humanissimi, alteram quoque belli faciem consideremus, eandemque necessariis atque idoneis argumentis collustremus oportet atque exemplis.

¹ E Pontificio Instituto Altioris Latinitatis, quod est in Pontificia Studiorum Universitate Salesiana in Urbe (Piazza dell'Ateneo Salesiano, 1, I-00139 Roma), orazioantonio.bologna@fastwebnet.it

² Vulg., *gen.*, 4, 8.

Alteram uero belli faciem, eandemque meliorem atque humaniorem, quae ab omnibus diuitiarum commodorumque fons ducitur atque origo, nos prorsus omnes ignorare simulamus. Quibus bonis plerique orbis homines, cum felicibus in nationibus uersentur, haud inuiti fruuntur. Sed quam multi, uel potius quam pauci quonam modo haec omnia, quae commodiorem beatioremque faciunt uitam, ad ipsorum perueniant utilitatem, secum reapse quaerant, fortasse nescimus. Multa enim inuenta, quibus, cum utilia ducamus, libenter fruimur, initio sunt ad belli usum destinata.

Ceterum ab antiquis usque temporibus acutissima ingenia, quibus hostem facile profligare possent, nouis armis et inuentis suos ornauerunt milites. Acerrime semper est inter acerrima ingenia certatum, ut suos ciues aliquo modo iuuare possent. Sed tempore elapso, cum illa inuenta sint parum idonea atque efficacia ducta, breui sunt ad hominum usum translata. Non dubitamus, quin plerique nostrum, cum rerum Romanarum simus quam qui maxime periti, quantum damni Romanorum tum nauibus cum copiis uel scaphiis per novum uel ballistarum uel catapultarum genus Archimedes Syracusanus intulerit probe sciant. Summus enim inuentor ac peritissimus artifex unus Romanos a Syracusanorum moenibus repellere ualuit et suis inuentis et machinis fecit, ut res incolumis firma felix aliquandiu euaderet staretque. Quibus ex inuentis Romani ballistam et catapultam bellis destinarunt; scaphium contra uirginibus uestalibus ad ignem sacrum accendendum tradiderunt.

Quis nostrum, maiores natu saltem, unquam ex memoria deposuit quibus armis atque inuentis, ante quam murum Berolinensem utriusque Germaniae ciues sternerent et unam iterum redigerent nationem, quibus armis, quibus inuentis, quibus insuper repertis silentio ac timore cum Russi tum Americani inter se multos per annos contenderint? Unum tantum exemplum hic referre iuuat. Illos enim per annos, quibus nos maximo sumus terrore capti, ne tertium, idemque nefastissimum, oriretur bellum, duo potentissimi populi tacito et glaciale contenderunt bello. Cum autem uterque terrarum dominatum adipisci cuperet, quam multos satellites artificiosos, quibus alter alterum obseruaret ac perscrutaretur, in inane misit spatium! Quibus quidem annis illa est aerispatialis scientia aucta, quae, cum inter alterum bellum pancosmium primo edidisset uagitus, tantum est progressa, quae temporibus nostris potissimum obtineat locum.

Quorum uestigia secuti, recentiores uestigatores alterum satellitum genus in spatium miserunt, quorum auxilio omnium terrarum homines, angustis nationum finibus superatis ac deletis, ullo sine impedimento non solum colloqui, sed imagines quoque per telehorasin uidere possunt. Quanto sim gaudio illa tempestate affectus, qua patruelis mei, quinquaginta iam elapsis annis, non solum uocem audiui, verum imaginem etiam mirabundus uidi. Quos fines, quae impedimenta, quae denique claustra acerrima illa ingenia, scientia et uestigatione progrediente, paucorum annorum spatio superauerint ac fregerint, haud facile mentes nostrae, quamuis ad multa capienda sint idoneae ac paratae, possunt uel comprehendere uel amplecti.

Cum autem bellum firmis damnemus uerbis innumera ob mala, quibus homo ulla sine pietate alterum necat hominem, cum uictis tum uictoribus haud pauca uel parua adfert beneficia.

Exorto autem bello primae uictimae, eademque praeclarae, sunt ueritas atque aequitas. Quibus necatis, iura delentur, dignitas conculcatur, progressus euertitur. Bello ingrauescente, homo ex improviso, ut ait Plautus, homini fit lupo.³ Qua quidem de causa nullum unquam bellum, mea saltem sententia, aequum iustum sanctum integrum fuit, quia unius tantum hominis mors, minima quoque in puerum aut in uirginem vis maximum est crimen, cuius homines rectos ac prudentes merito pudet ac paenitet.

Cum autem cogitem quam multa hominum mulierumque milia pereant, quam multa puerorum milia necentur, quam multarum uirginum et mulierum armis ac ui pudicitia expugnetur, tanto sum horrore captus, ut indignatus ne unum quidem uerbum proferre aut ualeam aut audeam.

³ Plaut., *Asin.*, 445.

Huc insuper accedit, quod inter bellum aedificia pontes uiae euertuntur, hominum uestigia paene delentur ipsa. Bello confecto, felices quoque loci luctus uastationes strages euersiones clades ostendunt. Nihilo minus, auditores ornatissimi, altera, eademque hominibus secunda, est quoque belli facies consideranda, quamuis nullus ex multis mortuorum milibus, Plutone relicto, in hanc reuertatur uitam et nulla, quae priorem feliciorum tranquilliorumque fecerint uitam, iterum homines adipisci possint iisdemque fruuntur bonis.

Inter bella insuper, malis increbrentibus et omni aerumnarum genere premente, plerumque fit, ut perniciosi morbi una cum pestiferis contagionibus tam multos adimant homines, quae bellis ipsis crudeliora uideantur. Quae mala haud magno sunt bellis ipsis auxilio, immo persaepe eo bellis sunt ferociora, quo maior mortuorum numerus exstat. Bellis et contagionibus confectis, nonnullae nationes ita sunt uacuefactae et uastatae, ut nullum umquam hominis uestigium easdem pressisse uideatur. Agri uastati sunt ac deserti; in oppidis, in uicis, in ciuitatibus inter belli ruinas pauci incolarum gressus resonant; nulli fere puerorum audiuntur uagitus, modestis nuptiis lacrimantes intersunt ciues.

Cum autem uastatio et solitudo animos contristent, pristinos renouent dolores, continuo mortuorum memoriam repetant, superstites tamen paucis sunt contenti rebus rerumque moderatoribus, cum paucis incolis ad uiuendum necessaria suppeditent, nulla prorsus est cura. Nam omnibus prorsus rebus carentibus, ingenia superstites acuunt et illos, quos, temporum felicitas rerumque affluentia demouit, ad agros colendos necessitas impellit, ad honestiorem tranquilliorumque uitam inducit, quoniam ea sunt excolenda, quae superstitum famem explere ualeant.

Bello autem confecto, homines, cum ad alteram securioremque redeant uitam, ueteribus oblitis malis, domos exstruunt, uias reficiunt, pontes moliuntur, noua supellectile aedes ornant, nullo labore per multos annos carent. Quo fit, ut populus, multa affluente pecunia, felicior tranquilliorque uiuat, artes reuiescant, ingenia ad maiora sollicitentur coepta. Pax denique, diu desiderata, maximum ducitur bonum, ex pristinis cineribus alterum uidetur hominum oriri genus, uel latrocinia uel furta aut homicidia necopinato desinunt, agri coluntur, nullum rerum discrimen animos uexat.

Quibus breuiter prolatis, neminem nostrum amplius fugisse puto quam de causa nostra aetate pleraeque Europae nationes, labore carente, nummis deficientibus, innumeris officinis et fabricis multas ob difficultates minuentibus aut cessantibus, in ancipiti uersentur rerumque moderatores omnia conentur, ut ciues commodam agant uitam. Nam altero pancosmio confecto bello, quod omnes fere terrarum populos implicauit, omnes Europae nationes uastauit, innumeras urbes deleuit, tam multa hominum milia necauit, quorum numerus sit adhuc plerisque nostrum ignotus, perpaucos post annos, quibus primum unaquaeque natio rei constituendae tum aedificiis uel reficiendis uel e fundamentis exstruendis operam dedit, ita denique floruit, ut rerum copia et felicitas pristinam angustiarum difficultatumque memoriam breui deposuerit. Nullus prorsus fuit Europae locus, ubi populus, pristinarum miseriarum oblitus, labore et studio, industria et negotio, consilio et cura in alteram, immo in contrariam animos et mentes uerterit partem.

In tanto rerum studio, in tanta rerum sedulitate atque alacritate omnes populi, patrum moribus recuperatis, aorum dignitate reparata, simul diuina et humana ducti spe, uiribus collectis, in naturam cum rerum tum ciuilium temporum atque rationem fortibus sunt animis ingressi. In tanta tamen rerum temporumque felicitate, non solum Hebraeorum holocaustum, uerum caedes illas etiam, quas Pannoniae Illyriaeque tyranni feroces et crudeles patrauerant, memorare non desierunt, quoniam felicem pacem, qua liberi fruebantur, inter tormenta et supplicia illorum hominum pepererat sanguis. Tanta tyrannorum ferocia fecit, ut omnes Europae nationes et complures orbis populi felici et diuturna fruerentur pace.

Sed diuturna quoque et felix pax in omnibus fere Europae gentibus fecit, ut aedibus exstructis, aedificiis erectis, uis pontibusque reffectis, complures homines, in quibus iuuenes principem obtinent locum, labore careant et huc illuc otiosi uersentur. Qui, cum nullam amplius

uitae metam, nullum amplius finem sequantur, medicamentis stupefactiuis, latrociniis, facinoribus, delictis, nummis carentibus et necessitate cogente, facile indulgent.

Diuturna autem pace perdurante, incredibile dictu, non bonae coluntur artes, non sollicitantur ingenia, mores corrumpuntur, immo homines ad tantum sunt facinoris pulsati, ut ipsae quoque rerum euertantur leges. Non desunt insuper qui, sub falsa libertatis specie, omnia, illicita quoque, sibi licere ducant. Quo fit, ut pauci sint homines, qui, cum nullo modo quae cupiant obtinere nequeant, homicidia quoque patrent. Leges, cum falsa in dies libertatis diffundatur notio atque imago, ita molliores ac mitiores fiunt, ut plerique homines beluarum more uiuere uideantur et iuuenes nullum, quod sequantur, consilium amplius concipiant atque alant.

In tanto rerum discrimine bonae leges contemnuntur, mores boni despiciuntur, omnes fere rerum moderatores corruptores fiunt et corrupti, puerorum iuuenumque institutio ita minuitur et spernitur, ut falsa quoque uera ducantur; hominis quoque uita, bonis moribus institutis legibus praeceptis e societate eradicatis, honestus et bonus uir ne nauci quidem ducitur; pueri et iuuenes, cum putent se omnino liberos esse, nullam in parentes reuerentiam ostendunt; in magistros, quos stultos habent et seruos, inofficiosos se praebent; senes contra, quos nullius ponderis homunculos habent, clamoribus et conuiciis consectantur.

Ad ea enim declaranda, ad ea omnia insuper patefacienda, quae nuper dixi, haec ualeat contemplatio, hoc unum ducatur exemplum: complures illos per annos, qui alterum pancosmium sunt secuti bellum, in omnibus fere Europae ceterarumque terrarum nationibus nullam tam grauem atque aerumnosam rei nummariae difficultatem umquam uiguisse; nullam umquam uilitatem, nulla praeterea difficillima tempora societatem umquam turbauisse. Quae omnia, incredibile dictu, trigesimum fere post annum, quam erat composita pax, complurium nationum ciues, quae ceteris ditiores uidebantur, sollicitare inceperunt ac uexare. Illa enim ex tempestate nummum uis est in dies minuta, uilior pecunia facta; omnium rerum pretia excanduerunt, ut hominum uita, labore carente, difficilior in menses fieret. Rerum enim discrimen est eo grauius factum, quo difficilior est negotia uel publica uel priuata adipisci.

Qua quidem in tempestate iuuenes praesertim, quorum numerus in menses crescit, in maxima uersantur egestate. Terrarum autem populus, pace dominante, mortiferis morbis et aerumnis ex hominum societate depulsis, tantum praebet incrementi, ut paucorum annorum spatio incolarum numerus sit duplicatus, immo plus quam triplicatus, ut tantum incolarum numerum orbis capere atque alere amplius non possit. Tam multis hominibus rerum primores quadam cum difficultate illa prouident ac suppeditant, quae ad uitam tantum necessaria ducuntur. Ideo ad haec discrimina uitanda, ad has difficultates superandas, ad rerum copiam ciuibus suppeditandam, antiquitus factum est, ut trigesimo circiter exacto anno, sit bellum exortum.

Cum autem bellum, uel iustis uel fictis de causis ortum, maiorem regionum partem ferro ignique uastaret, magnum hominum numerum adimeret, machinas et arma deleret, aedificia sterneret omniaque funditus euerteret, infelices incolarum animi meliores erant comparaturi mores, idonea collaturi instituta, aequiores suasuri leges, feliciorum facturi societatem. Quibus omnibus de causis bellum quam maxime idoneum antiqui patres duxerunt instrumentum, cuius auxilio tam multa expedierunt incommoda, in quibus, ut par est, incolarum incrementum, frumenti locique inopia, nummum laborumque difficultas potissimum obtinuerunt locum. Nam ubi primum res est in tranquillum redacta, primis temporibus, cum ciues uel incommoda uel luctus uel mala memoria tenerent, maxima fuit industria, concordia integra, nulla auaritia, nulla alienae rei cupiditas animos uorauit, bonae artes floruerunt, optima ciuibus iura describuntur, maximum bonarum legum fuit imperium.

Sed pax quoque, tempore procedente, senescit. Quae haud secus ac omnes humanae res longo post tempore aerumnarum et malorum causa fit. Recte enim G. Sallustius Crispus, callidissimus rerum Romanarum scriptor, cum *Bellum Iugurthinum* scriberet, haec merito notauit: “[...] corporis

et fortunae bonorum ut initium ita finis est, omniaque orta occidunt et aucta senescunt”.⁴ Nam pace uel potius otio perdurante, omne uitiorum genus in hominum societatem ita sensim irrepit, ut bonae artes eradicentur, bonarum legum potestas minuat, uirtutes despiciantur, recti mores spernantur; nummis et laboribus carentibus, latrocinia increbrescunt, ciborum pretia excandescunt, mores ita sub falsa libertatis specie corrumpuntur, ut neminem nec uitiorum nec prauarum actionum nec paeniteat nec pudeat. Quo fit, ut hominum conscientia, malis assueta, a patrum moribus decedat et illecebris opprimatur. Maliis moribus adsueta, homines sibi omnia, taeterrima quoque, licere ducunt.

Cum autem diutius maneat pax, quam multi iuuenes, bonis artibus amissis et optimis despectis exemplis, miseram et infelicem degunt uitam et ingenia, quibus nihil nec pretiosius nec praestantius rerum conditor hominibus dedit ipsis, ita ad malas uertunt artes, ut facta ad mala tantum patranda uideantur. Attamen hoc nos omnes compertum habere duco: animum incorruptum, aeternum ac diuinum donum, humani generis unum esse rectorem, eundemque agere omniaque possidere nullaque uero possideri re. Ideo merito Sallustius scribit: “Quo magis prauitas eorum admiranda est, qui, dediti corporis gaudiis, per luxum et ignauiam, quo neque melius neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque socordia torpescere sinunt, cum praesertim tam multae uariaeque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur”.⁵

Quiete autem atque otio diutius permanente, praeclara maxime ingenia, quibus supernus rerum conditor mirifica praebuit dona ac munera, cum nulla necessitate cogantur, nullo desiderio impellantur, nullo discendi studio capiantur, pestem ac perniciem cum sibi tum aliis praesertim apportant, nullum beneficium, nullum auxilium, nullum adiuumentum adferunt societati. Quin immo, cum peiora diebus transeuntibus fiant, ipsis societatique maximo sunt damno ac detrimento: isti enim homines, facultatibus ac uirtutibus usi, sui similibus exitio sunt, quos ad tantum interitum ducunt, ut sibi societati rei publicae calamitati sint, nullum facinus patrare dubitent, arma quoque in sui similes, in publicam quoque sumere audeant rem. Cum autem isti iuuenes sint terrores facti, ciuium strages patrauerint, immania facinora admiserint, sceleribus sint flagitiisque contaminati, magnum se nomen adeptos putant aliosque, mala usi auctoritate, crimine obstringunt.

Ad tanta mala uitanda antiqui Germani, ut apud Tacitum scriptum legimus, alios liberis impertiebant mores: “[...] in ipso concilio uel principum aliquis uel pater uel propinqui scuto frameaque iuuenem ornant [...] hic primus iuuentae honos; ante hoc domus pars uidentur, mox rei publicae. Insignis nobilitas aut magna patrum merita principia dignationem etiam adulescentulis adsignant; ceterum robustioribus ac iam pridem probatis adgregantur, nec rubor inter comites aspici [...]. Haec dignitas, hae uires: magno semper electorum iuuenum globo circumdari in pace decus, in bello praesidium. Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque ciuitates id nomen, ea gloria est, si numero ac uirtute comitatus emineat; expetuntur enim legationibus et muneribus ornantur et ipsa plerumque fama bella profligant”.⁶

Ceterum haud fortuito Ennius, praeclarus Romanorum poeta, hunc scripsit uersum, quem Cicero, tanti ingenii cultor ac uenerator, maxima cum animi admiratione refert: *moribus antiquis res stat Romana uirisque*. Camenis parumper oblitus, ad singula mentem uerba uertamus oportet, nobiscum quaeramus, quid tam doctus et clarus poeta cum ciues tum maxime rei publicae primores, quid generosos ac strenuos exercituum duces imperatoresue docuerit; quam de causa praeclarus ille uir, qui gloriabundus de se hunc scripsit uersum *nos sumus Romani qui fuimus ante Rudini* uel mores antiquos uel rem Romanam uel denique uiros ciuibus suis memorare uoluerit.

Nam Romani, qui populorum omnium longe bellicosissimi fuerunt, usque ab initio Martem, ferocem conditoris parentem, summa cum pietate, summo cum studio, summa cum religione semper coluerunt, ut paucorum annorum spatio parua Romuli Roma, frequentibus commotis bellis innumerisque populis subactis, sit potens ac diues facta et nullo sit rerum discrimine fracta. Ad tam

⁴ Sall., *Iug.*, 2, 3.

⁵ *Ib.*, 4.

⁶ Tac., *Germ.*, 13, *passim*.

amplam potentiam adipiscendam, ad tam magnas diuitias comparandas, ad tam uastum imperium constituendum, Romani semper sunt maiorum mores atque exempla secuti, optimum quemque uirum exercitibus suis praefecerunt ducem, optimum quemque ciuem uel consulem uel imperatorem uel dictatorem creauerunt.

Ceterum patres, discordiis intestinis sepositis, nullam umquam praetermiserunt occasionem, quin commodis suis rei publicae bonum anteponerent. Qui, cum compertum haberent longum otium nimiumque languorem non solum rei, uerum ipsis praesertim ciuibus esse damno, continuis et diuturnis bellis fecerunt ut quietis quoque temporibus iuuenes, quibus erant ualidam et firmam rem tradituri, armis militiaeque disciplina corpora exercerent, animos firmarent, mentes ad commune bonum seruandum roborarent.

Quam ob rem Romani iuuenes inter otium et pacem numquam arma deposuerunt, numquam disciplinam laxauerunt numquam sunt otio nec deuicti nec subacti. Quin immo cum compertum haberent sibi supremum esse bonum defendendum, tempore quoque pacis erant armis induti et omnia conabantur, ne hostes in suos fines ingrederentur neu longinquas quoque regiones ferro uastarent et igni.

Quibus seruatis moribus, quibus excultis uiris, nullum unquam dubium fuit, quin per bellum res Romana augetur, in dies potentior fieret, imperii fines longe lateque propagaret. Quibus cognitis, Ennius gloriabundus se Romanum ciuem esse iactat; tanta gloria captus, uel potius, subactus, magna elatus superbia se merito Romanum esse profitetur. Cum autem perpauca illius operis, quod *Annales* inscribitur, consideremus fragmenta, de bellis tantum deque praeclaris illis praesertim egit uiris, qui, commodis suis despectis, rei Romanae publicae uires dederunt, uitam sacrauerunt.

In tantis autem ac tam multis uiris, qui rem defenderunt, roborarunt et auxerunt, praeterire non potuit, quin illum memoraret ducem, *quem nemo ferro potuit superare nec auro*. De tanto uiro, cuius animum incorruptum per unum hunc Ennii uersum noscimus, Plutarchus quoque paulo fusius agit. Qui, cum Marci Catonis uitam narret eiusque praecipuas memoret res, referre non dubitat hunc uirum, admodum iuuenem et amplorum cupidum honorum, in humillimam Manii Curii Dentati casam uentitasse ibique de praeclaris imperatoris coeptis secum cogitasse. Curius enim, priusquam honoribus operam daret, uersatus est in Sabinis, ubi paruam possidebat praedium. Qui, cum omnium Romanorum longe clarissimus esset et bellicosissimas subegisset gentes, Pyrrhum, Epirorum regem, ex Italia pepulisset, tres sumptuosissimos egisset triumphos, suis ipsius manibus illum arauit agrum et in humili uitam degit casa. Ibi legati, a Samnitibus missi, Curium ante focum sedentem et rapa coquentem inuenerunt. Quibus, multum auri offerentibus, respondit: “Non indiget auro, qui est hac cena contentus. Ipse uero eos, qui aurum possident, deuincere quam metallum illud possidere malo”.⁷

Quibus acerrimis uiris et incorruptis moribus consideratis, alio in longo carminis loco, cum Romanorum uirtutem consideret, Ennius se abstinere non potuit, quin exclamaret et hunc conderet uersum: *fortis Romani sunt tam quam caelus profundus*.

Cum autem compertum habeamus nihil esse hominibus pace uel dulcius uel maius aut carius, hoc tamen est nobis considerandum: pacem bello pari. Nam Meneclidi, Thebanos hortanti, ut pacem bello anteferrent, Epaminondas: “Fallis”, inquit, “uerbo ciuis tuos, quod hos a bello auocas: otii enim nomine seruitutem concilias. Nam paritur pax bello. Itaque qui ea diutina uolunt frui, bello exercitati esse debent. Quare si principes Graeciae uultis esse, castris est uobis utendum, non palaestra”.⁸

Quibus Epaminondae uerbis auditis, haec praesertim sunt nobis percipienda: ne Graecorum Romanorumque mores ad nostros referamus, neque ea, quae leuiora uel grauiora fuerint apud illos, pari modo apud nos esse arbitremur. Nam innumeris orationibus apud rerum scriptores lectis, per quas duces ad pugnas sunt milites hortati, haud raro cognoscimus bellum ad pacem tuendam

⁷ Plut., *Cat.*, 2, 1-2.

⁸ Nep., *Epam.*, 5, 3-4.

exortum; hostes insuper, armis arreptis, foedus uiolasse, nostros ad foedus restituendum arma arripuisse comperimus; finitimos praeterea praedandi causa in regionem nostram bellum intulisse, ciuitates uastasse, incolas in seruitutem coniecisse, agros populasse; nostros uero, ut pristinum ordinem redintegrarent, ad arma coactos. Illis saltem tempestatibus omnes aequa recta iusta proferunt, quamuis hoc plane compertum habeant: bello exorto, primam et maximam uictimam esse ueritatem. Qua necata et iuribus ab utraque parte uiolatis, aequum iustum rectum in nullo umquam reperitur loco, quia uis et arma animos maculis aspergit.

Nostra autem aetate, in qua septuaginta iam annos pax potissimum obtinet locum, diuturnum otium, quo hominibus nihil est dulcius, nonnullas Europae gentes ad ditiorum potentiorumque seruitutem redigit, quia non solum discrimen nummarium, uerum corrupti etiam rerum moderatorum mores, qui in dies relaxantur et in pessimam seruitutem praeclara quoque ingenia abducunt, ita societatem turbant, ut homines sui paene memoriam amittant ac dignitatem. Armorum interea non officina solum, uerum magna etiam et copiosa mercatura floret. Quibus deuenditis, nationum condiciones meliores et feliciores, potentiores et ditiores uidentur ciues. Ceterum quam multi armorum mercatores, quibus, cum nulla sit erga miseros pietas, commodum tantum suum est cordi, sint ditissimi facti, quibus aeriplanis quibusque utuntur nauibus, quibus deliciis quibusque lautitiis fruuntur et, uulgo contempto ac neglecto, felices uiuunt ac beati. Nam insanum armorum commercium fanaticum quendam ac superstitiosum et ferocem hominum gregem, qui nos quoque territare ac subigere conatur, tam potentem, tam uiolentem facit et trucem, ut in nonnullis orbis nationibus cruentas insidias patrent, rerum ordines euertere conentur, rerum nouarum cupidi omnia perficiant, ut ciues ad suas educant partes. Ad suas rationes asseuerandas ferocissimis sceleribus flagitiisque contaminantur, externarum gentium diurnariorum capita, innumeris hominibus spectantibus, cultris exacutis crudeles et gloriabundi praecidunt. Quae crimina, in hominum genus maxima cum contemptione, maxima cum irreuerentia in sui similes, maxima cum calliditate illata, uel per orbiconexum⁹ uel per telehorasin diffundunt et uulgant. Isti terrores, qui sub ISIS siglis et insignibus stipendia merent, Europae quoque nationibus strages et sacrum minitantur bellum. Quibus saeuientibus, quam multi homines necantur, quam multae mulieres et puellae coram omnibus stuprantur et extinguuntur. Quibus militibus minaciter appropinquantibus, bellum ad Europae fines saeuit et haud a nostris ciuitatibus longe beluae illae contra homines inermes atrocissima crimina, nulla obstante uel impediende potestate, patrant.

Nam haud fortuito antiqui rerum scriptores, cum multa essent experti et cognitum haberent quae mala, quae damna, quae incommoda diuturnum et continuatum otium cum hominum generi tum rei publicae afferrent, bellum una cum pestifera contagione ceterorum omnium optimum hominum generis esse purgamentum iudicarunt et reapse id uerum esse crediderunt. Ceterum si quod nostris temporibus id qui possent nulla perficerent haesitatione, illi bellatores, qui maxima cum adrogantia maximaque cum contemptione antiquissima ciuitatum reliquias et uestigia, quae quantum hominum generi profuerint docent, gloriabundi, inulti impunitique non euerterent. Cur tantam illi iactantiam ostendant, qui bonus umquam ciuis secum lacrimans non quaerit? Quorum facinus, si quis potentior rei moderator uellet, paucorum dierum spatio deleret. Sed omnes, cum sint cum armorum commercio tum dominatus commodo deuincti et subacti, cum uideant quae crimina, quae facinora concipiant et committant, praeter uacuum atque inanem condemnationem nihil faciunt, nullum idoneum ineunt coeptum.

Ceterum diurnarii nullam praeterrmittunt occasionem, quin tam cruenta maleficorum hominum coepta uulgent, cruentas ciuium strages memorent, quas in nationes contendant doceant. Quorum legiones non sunt solum a muslimis, in innumeris orientis regionibus conscriptis, uerum ab aliis quoque gentibus constitutae. Ad tam ferocem exercitum augendum, ad illas legiones roborandas multi iuuenes, multae puellae, pacificis Europae gentibus relictis, in illas orientis

⁹ Hoc uerbo in sermonem Latinum *internet* referre aequum uidetur, sed etiam *orbiconexio*, *ōnis* f. adhibere possumus.

nationes contendunt, in quibus, bellis intestinis exardescantibus, illam patefaciunt saeuitiam, feritatem exercent, quam domi, legibus moribus institutis uetantibus, sunt coercere coacti.

Qui iuuenes, cum sint bonis artibus instituti, cum bonos a parentibus acceperint mores, sunt tamen pacis et tranquillitatis taedio capti, ut cum ingenio sint violentes et crudeles, cum suae quemque prosperae paenituerit fortunae, quamvis apud praeclaras Europae uniuersitates sint doctoris gradus adepti, domum et uitam commodam alii sua sponte, uirginum praemiis et illecebris alii relinquunt, castrorum leges et mores suscipiunt, ferocissimis peiores fiunt. Qui, tempore procedente, omnium longe crudelissimi facti, foedissima crimina in sui similes gloriabundi perpetrunt; immo se noui rerum ordinis ministros et apostolos ostendunt, quoniam falsis decepti doctrinis, diuites et potentes occidentis nationes delere cupiunt et omnia conantur, ut omnes orbis populi, qui ad solis occasum uergunt, in metu ac trepidatione uitam degant. Infelices isti iuuenes, quibus, si reapse optimis essent eruditi rebus, si reapse belli pericula essent experti, si reapse pacem et libertatem gustarent, nihil uita carius, nihil pace potius, nihil tranquillitate praestantius putarent. Qui iuuenes, cum nullum consilium, cum nulla sibi sit meta, in nostris quoque conscribuntur regionibus et nouis induti consiliis illas petunt nationes, in quibus foedissima quoque crimina belli iure patrantur et probantur.

Nam istorum territorum duces, idoneis et callidis huc illuc apostolis et magistris missis, miseros et infelices iuuenes uel nummis uel promissis uel illecebris subicere conantur ipsisque insuper promittunt se quam primum, multis infidelibus per insidias et laccessiones necatis, strage ac uirtute claros, nummum diuites uirginumque dominos futuros; eosdem insuper, uita inter bellum, inter stragem, inter insidias amissa, innumeris circumdatos uirginibus, aeternis fruituros gaudiis. Isti miseri, fictis subacti fabulis, et falsis decepti ineptiis et muneribus, ducum iussibus temere atque inconsiderate parent, pericula contemnunt, uulnera audacter tolerant, mortem quoque forti obeunt animo.

Quibus breuiter consideratis, omnes pro certo habemus bellum ad Europae portas exardescere, bellatores paulatim in Europae fines ingredi et bellum, pace regnante, quietos et maxima cum tranquillitate in hospites comparare. Isti flagitiosi homines, cum compertum habeant omnes Europae gentes magna esse formidine captas easdemque metu fractas ac debilitatas, urbibus ferro flammaque minitantur, caedes cruentas perpetrunt, externos obsides iugulant, castra ad Europae fines collocant, immo uniuscuiusque urbis moenibus imminent. Ad tanta ac tam multa pericula uitanda, ad tanta ac tam multa mala repellenda, ad tantas ac tam cruentas ciuium caedes demouendas, nihil quam Ciceronis uerba, quae in Marcum Antonium pronuntiauit, idonea uidentur: “Qua re si pace frui uolumus, bellum gerendum est; si bellum omittimus, pace numquam fruemur”.¹⁰

Dum longe lateque tam crudelia diffunduntur nuntia, plerique Italiae cives, plerique Europae terrarumque incolae, prosperis rerum condicionibus perpensis, nullum exardescere bellum dicunt; immo pro certo habent se pace frui, tranquillitate gaudere, ampla laetari libertate. Si omnibus his rebus, ulla sine exceptione, reapse fruuntur, quanam de causa in splendoribus Syriae ciuitates, in ditissima uel Iraquiae uel Iraniae musea libenti non contendunt animo? Quanam de causa peregrinatores orientis regiones frequentare ac uentitare uetantur? Quanam de causa isti flagitiosi homines, nouissimis ac nocentissimis armis praediti, ullo sine timore, in multis uel orientis uel Africae regionibus castra collocant et nihil apud hostes quietum patiuntur? Quinam Europae terrarumque populi istos interfectores, istos pacis conturbatores tranquillitatisque eruptores armis ornent et hominum mulierum puerorum sanguine ditiores fiant, omnes pro certo habemus.

Cum autem iuuenes nostri in mollitie uiuant et ignauia, isti terrores in castris, sub diuo, in locis diruptis, inter aspera ac difficilia exercitia corpora durant, unanimes pertinaces ac perseverantes faciunt. Qui, cum totius orbis principes esse cupiant, cum omnium orbis rerum potiri conentur, acerrime exercitantur, castris non palaestris utuntur. Qui uiri, populi eneruati deliciis

¹⁰ Cic., Cic., *Phil.*, 7, 19.

relictis, commodorum mollitie sprete, otio despecto, in locis desertis “nudi ac sordidi”, ut de Germanis scribit Tacitus, “in hos artus, in haec corpora, quae miramur excrescunt”.¹¹

Cum autem urbem isti malefici homines, ut de Germanis Tacitus scribit, adgrediantur, “turpe principi virtute vinci, turpe comitatu virtutem principis non adaequare. Iam vero infame in omnem vitam ac probrosum superstitem principi suo ex acie recessisse: illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius adsignare praecipuum sacramentum est: principes pro victoria pugnant, comites pro principe. Si civitas in qua orti sunt longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adulescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt, quia et ingrata genti quies et facilius inter ancipitia clarescunt magnumque comitatum non nisi vi belloque tueare”.¹²

Dum in omnibus fere Europae nationibus disputatur, feroces isti bellatores Lybiam uastant, Tunetem turbant, Keniam armis et ui in Christianos praesertim saeuunt. Nullus uero praeteriit dies, quin Kenia, pro dolor, ineunte mense Aprili, Christianorum sanguine manaret. Quibus inhumanis et immanibus criminibus cognitis, nullus fere in orbe rerum est moderator, qui, ira atque indignatione motus, praeter Summum Romanae Ecclesiae Pontificem, tam efferata facinora damnet, omnibus modis prouideat, ut istos scelestos segreget, ne quis alius mala contaminetur doctrina neue ad legiones constituendas proficiscatur. Attamen ex innumeris Europae nationibus innumeri expelluntur homines, qui inter ciues scelestam diffundunt doctrinam et iuuenes infirmiores, quibus nullum est rebus bonis studium, conscribere conantur. Ad tantum in sui similes immanitatis, ad tantum ferociae, ad tantum in Christianos odii, ut mihi uidetur, diuturna duxit pax, diuturna facinorum tolerantia, frequens criminum excusatio, continua ac serena nostrarum ciuitatum tranquillitas, quam isti malefici infirmitatem putant ac seruitutem.

Hic uero, ne plura dicam eademque parum idonea, illa Flauii Vegetii Renati uerba consideremus oportet: “Igitur qui desiderat pacem, praeparet bellum; qui uictoriam cupit, milites imbuat diligenter; qui secundos optat euentus, dimicet arte, non casu”.¹³

Quibus breuiter memoratis, si omnes populi, armis et ui depositis, pacem magni reapse ducerent, illam publicam bonarum artium rem profecto constituerent, in qua unusquisque sui simili, cum sit homo idemque ad Dei imaginem factus, maximam haberet reuerentiam.

¹¹ Tac., *Germ.*, 20, 1.

¹² Tac., *Germ.*, 14, 1-3.

¹³ Veg., *mil.*, 3, pr.